

1706

1. Diesel dorf, Dr. Gottlieb : De parasitis in alca.

1707.

1. Willenburg, Samuel Frisius : De vitalitate Generum.
Librente

2. Willenburgius, Samuel Frisius : Vojare prescripti
negato circa territorium Sveciam.

3. Willenburg, Samuel Frisius : De innocentia mortis la-
ram purgata

1708. Großdick, Samuel : De funeribus
F. Willenburg, Samuel Frisius : De receptione tales in

Cantus cressante
3. Willenburg, Samuel Frisius : De vaporantia amoris,
erga proximum.

4. Willenburg, Samuel Frisius : De dubiis pismenitorum
formulis.

1709.

1. Großdick, Gottlieb : De monarchismo politico

1705

1. Grudecell, Gabriel : De moderatorine victoris
2. Willenburg, Samuel Fridericus : De curacalit puerorum.

1706

1. Willenburg, Samuel Fridericus : De artibus et mediatoribus
bellicis et belli

1707.

1. Willenburg, Samuel Fridericus : De ablatione ad iurandas
facta.

1708

1. Schelzingerius, Samuel : De apparitionibus mortuorum
vivis ex pacto factis. Res. 1746.

1709

1. Willenburg, Samuel Fridericus : De usus et parentum
supplendo per magistratum in multis literis.

1711

1. Schelzingerius, Samuel : Utique fures sunt, et qui recipit
et qui foratus

1711

2. Willmbrig, Samuel Fridericus : De eo, quod iustum est
Gren variorum maritimas. Vom Recht des Capriq.

1712

- Willmbrig, Samuel Fridericus : De perjurio veniale.

1713.

- Willmbrig, Sam. Frd : De filius pro patre

1714

1. Willmbrigius, Samuel Fridericus : De fraudibus libidinibus.

1715

1. Schelgnygius, Gottol : Confessionarium a jindice de
crimine siti in confessione revelato interrogatorum
non posse juris siti vel esse revelatione.

2. Schelgnygius, Gottol : Communis bonorum iuris
actate apostolica Hierosolymis usurpata.

3. Schelgnygius, Samuel : De capillamentis.

1715 we were very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

1716 We were again very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

1717 We were very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

1718 We were very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

1719 We were very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

1720 We were very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

1721 We were very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

1722 We were very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

1723 We were very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

1724 We were very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

1725 We were very well provided and quite well
supplied at last. All our necessities supplied and
we had a good time.

+ 28

28.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO
DE
EXUPERANTIA
AMORIS, ERGA
PROXIMUM,

Quam

Divinâ favente Gratia

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi,

DN. SAMUELIS FRIDERICI

WIELENBERG /

J. U. D. Ejusdem ac Historiar. Prof. Publ.

& Athenæi Inspectoris,

Fautoris, & Promotoris studiorum suorum

ad Cineres devenrandi,

d. VII. Decembr. A. R. M. DCCII.

Horis Consuetis,

In Auditorio Athenæi Gedanensis maximo

Publico Eruditorum Examini,

submittit

JACOBUS Maul / Ged. Bor.

Late 2-3

6-7)


unbedruckt

G E D A N I,

Exudit JOHANNES-ZACHARIAS STOLLIUS,

ATHEN. TYPOGR.

Disp. VIII.



I. N. J.

Sectio Prior Generalis

De


Natura & causis Exuperantiae Amoris erga
Proximum.

I.

Hinter causas, quæ hominem ad actiones suas impellunt, sæpequè magis ad hanc quam aliam eorum speciem sollicitant, sunt quoque commotiones animi seu affectus, quos in illo generat temperamentum corporis, rerum inspectarum objectum & in genere spirituum agitatio. Hi, si versentur circa legitimum objectum, & subsint rectæ rationis imperio, non tantum boni sunt, sed & hominum functiones magnopere juvant, atque ad vitæ hominæ perfectiōnem multum conferunt. Econtra ubi deficiunt, actiones hominum languescunt, ipsa ratio segnis in pluribus efficitur, quin sine illorum stimulis velut evanidæ torpēt. Numero horum affectuum sunt penè multi, inter quos etiam amor resertur, qui si fini proportionetur, & ad ea quæ diligenda sunt cum ratione dirigatur, pro malo haberri nequit, qui ducere posset ad vicia. conf. Anton. le Grand. *Instit. Philosoph.* p. 9. c. 6. segg. & p. 10. c. 13. & 18.

II. Omnis verò amor erga se ipsum incipit, omnibus animalibus adeò tenerè congenitus, ut se ipsis nihil putenteriam est acharius, ex quo sollicitè se conservant, omnia quæ sunt ad vivendum necessaria cupidissimè parant, quæ nocitura vindicentur vehementer averiantur, & maxima virium contentione propulsant. Quamobrem Seneca 4. benef. 17. *Nemo in amorem sui cohortandus est, quem adçò dum nascitur, trahit.*

A



sunt, nisi in specie ad eas culturā animi & corporis nos aptos reddidimus, hinc in tempore cogitandum est, ut honestam artem addiscamus, nec opibus per majores relictis contenti simus, ut impunè ignaviz incubemus. Nam hæc cogitans tanquam inutile terræ pondus in nullius usum aliorum industria vitam trahit. Dn. de Pufendorf. de Jure Nat. & Gent.

L. 3. c. 3. §. 1. seqq.

Datur ejus gradus. VII. Constat tamen debet, cum discretione quadam unum præ altero atque ita impensis amari posse, esseque gradus erga Proximum, sicut etiam est fortior erga unum quam alterum ad exhibendum hunc amorem obligatio.

Cum enim impossibile, voluntatis nostræ exercitium in omnes æquè diffundi, hinc præ reliquis illi eligendi, quos major & justior causa diligendi commendat. Magis itaque amandi parentes quam cognati, magis patria quam liberi, magis hi qui sunt nobiscum eisdem gentis, nationis ac lingvæ, quam exteris, peregrini aut barbari. Et hos gradus tam sacræ quam profanæ literæ præscribunt Luc. XIX. v. 15. ad Galat. VI. v. 10. Mitius apud Vopiscum cap. 6. inquit: *ingens est gloria morientis Principis Rempubl. magis amare quam filios Er Germanicus apud Tacitum 1. Annal. 42. Non mihi uxor & filius patre & republicâ cariores sunt. Apud Gell. Not. Astic. 5. c. 13. cum quærebatur, quibus nos officia prioribus, potioribusq; facere oporteat, hæc exstant: si neceſſe esset in opera danda faciendoque officio alios alii anteferre, non constabat. Conveniebat autem facile, constabatq; ex moribus populi Romani, primum juxta parentes locum tenere pupilos debere, fidei iutele que nostræ creditos, secundum eos proximum locum clientes habere, qui seſe iidem in fidem patrocinium q; nostrum dediderunt, tum in tertio loco esse hospites, poſtea esse cognatos affinesq;.*

*Qui illustra-
tur aliquos
exemplis.*

VIII. Hinc si videamus multos ignotos & unum notum ac probum in periculo versari, ad notum magis ducimur, ut eum

eum juvemus, quia inter illum & nos major conjunctionis necessitas est. Si pater & conjux simul periclitentur, amor nos impellit magis ad conjugem juvandum, ob arctissimum vinculum, quo inter conjuges omnia communia. Si duo amici alter ad nuptias alter ad funus nos invitent, magis lugenti gratificandum, quia auxilio nostro maximè eget Ex-cell. Dn. Beccan *Doctr. moral. cap. 16. §. 3.* Si concurrant pater & filius, quorum uterque alimenta à me postulat, filius præferendus erit patri, si nondum educatus, quia in illo statu ipsi perfectè obligor, patri tantùm imperfectè. Si autem jam è potestate dimissus, patri postponendus erit, quia pater gratitudinem postulat Dn. Thomas. *Jurispr. Divin.*
L. 2. c. 2. §. 133.

IX. Quod si spectemus naturam amoris proximi, illa *Quæ sit usum* hæc summâ comprehenditur: multa eundem præcipere, *lura amoris* quæ non sunt justitæ propriè dictæ & tamen non tantum *bijus*. cum laude fiant, sed etiam sine culpa omitti non possunt H. Grot. de j. b. & p. L. 2. c. 25. §. 3. n. 3. Rursus istum multa vetare, quæ summo jure licita, seu quæ ob bonum publicum aliter statui non possunt, humanitati tamen seu affectioni, quâ omnes homines prosequendos esse natura dictat, dura existunt. Grot. L. 3. c. 13. §. 4. Sufficientissimè de natura amoris hujus docet Gentium Doctor. i. ad Cor. XIII. 4. seqq. *Charitas iram cobibet, benigna est charitas, non invidet charitas,* non agit perperam, non inflatur. Non agit indecorè, non querit que sua sunt, non exacerbatur, non cogitat malum, non gaudet in iustitia, gratulatur autem veritati. *Omnia tegit, omnia credit,* omnia sperat, omnia sustinet &c. Hujus amoris triplicem speiem faciunt, quod alius sit humanus naturalis, alius huma-nus moralis, & alius supernaturalis, de qua vid. Joh. Adam Osiander. *Theol. Casual. P. 2. p. 1080. seq.*

X. Recitemus verò simul regulam, ut ex ea constare *Quomodo P.* possit

on voce *Proximus*. *Judæi* voce *Proximi* municipem intelligunt, ejusdemque religionis consortem, ac hunc sensum eruere conantur ex textu *Levit. XIX. 17. 18.* ubi priori versiculo proximus & frater appellantur, posteriori cives, simul que inter fratrem & proximum differentiam constituunt, quod frater sit ille, qui genere & sanguine fuit Israelita, proximus vero qui talis est religione & cultu, nempe Proselytus Joh. Lightfoot in *Matth. V. 22.* Quæ tententia hic paucis repellenda erit. Sufficit autem ad ejus destructionem, quod contra legem nimis angustè *Proximus* accipiatur. Si enim Israelita saltem per proximum fuisset intelligendus, licuisset *Judæis* quosvis alios præter suæ gentis homines non diligere, at tamen hoc ipsis non licuisse constat, *Exodi XXIII. 4. & 5.* *Proverb. XXV. 21.* Contrarium itidem evincunt *Exod. XI. 2.* *Judic. XIV. 20.* Et posito per fratrem intelligi *Hebræum d. Levit. XIX. 17.* propterea tamen infirma est consequentia, quod verba illa v. 18. diliges Proximum sint exegistica verborum priorum, sed potius ampliativa sunt, quibus Moses à dilectione fratris *Hebræi* prograditur ad dilectionem proximi, nempe cuiusvis hominis, qui casu aliquo aut occasione aut quacunque de causa nobis prope factus est, & nostra ope indiget Osiander *Theol. Casual. P. 2 p 1184. seqq.*

Per Proxi- XVI. Largam hanc significationem, quâ per proximum *mum intelli* omnis homo intelligitur, suppedicat ipse Salvator sapientissimus omnes simus Legis interpres in parabola hominis à Latronibus spoliati & Samaritani, qui casu in illum incidebat, solusq; comes & *Proximus* ejus erat, licet alioquin inimici inter se fuerint *Judæi* & Samaritani *Luc. X. 30. seqq.* Est autem hæc sapientissima vocis hujus extensio, quæ, quod ab homine, quem Deus finxit, omnes orimus, consanguinitatem universalem omnium hominum inter se significat, ac ideo, quod maximum scelus committatur, ostendit, si proximum odio habeamus aut

aut humanitatis officiis ab eo recedamus. B. Danhauer, *Colleg. Decalog. Disp. 8. S. 2. p. 895.* Rivet. *Prælect. in cap. 20.*
Exod. vers. 15. p. 391. Azor. *Instit. moral. P. 2. cap. 5. p. 1258.* lit.
 D. Quare nos hoc loco, qui de amore Proximi tractabimus,
 etiam in hac significatione per Proximum quemlibet hominem
 intelligi volumus. Licer enim facile concedendum
 sit, non omnium hominum amore me in praesenti indigere.
 neque omnes homines amoris mei nunc indigentes esse, im-
 possibile tamen non est, casum evenire posse homini, quo ejus,
 de quo non putabat, auxilio indigeat, & hic vicissim illius.

XVII. Ut igitur constet, quid per Exuperantium amoris *Definitiv &*
erga Proximum velimus, ea nobis est: Amor Proximi excele explicatur
lens amorem sui. Clarior res erit, si dicamus: in quibus casi *Exuper. A.*
bus proximi emolumentis incumbimus cum dispendio vita *mori erga*
& commodorum nostrorum, ibi amor Proximi exsuperat *Prox.*
amorem nostri. Supponendum ergo erit, quod quædam
 pro incolumitate proximi impendamus, quæ ipsi mallemus,
 & quæ in usum nostri non essemus facturi, ex amore in com-
 modum Proximi faciamus, atque ita magis istius bonis quæm
 propriis gaudeamus, & magis ejus malis quæm nostris indo-
 lescamus conf. Dn Beccman. *Dœctr. moral. cap. 9. §. 12.* Faci-
 lè autem largimur, si charitas illa, quæ à se ipsa incipit, est
 ordinaria *L. Preses 6. C. de Servitus.* exuperantem hunc
 amorem Proximi esse quandam speciem amoris extraordina-
 rii, dum gradum aliquem exigit supra nos amandi prox-
 imum. Interim cum illa ordinata charitas non sit exclusi-
 va amoris majoris supra se, hujus quoque certa species esse
 potest. Cujus exemplum in Davide occurrit, qui mori vo-
 lebat pro indigno filio Abialone *2 Sam. XVIII. 33.*

XVIII. Considerari potest Exuperantia Amoris hujus *Ea vel vir-*
vel ut virtus quædam heroicæ, quæ ab animi celsitudine ve- *trius est vel*
nit, & speciali jure non obligat, quandoque tamen decet, cu *justitia &*
B *jus ex debito.*

jus exempla notarunt Hartknoch. *de Republ. Polon.* L. 1. c. 2. §. 12. Rachel. *Comment. ad Offic. Cicer* L. 1. p. 111. Beaman. *Disp. de Exuperantia obsequii* vel ut debitum aliquod à lege præceptum ad minimum naturali. Lex enim Naturæ non tantum complectitur eam justitiae partem, quæ est strictæ significatio-
nis, sed quoque ad omnes illos actus sese extendit, per quos hominum salus & utilitas haberi potest, ut licet illi in tabulis præscripti non sint, tamen non tantum sint honesti, sed & debiti. Quod veribus appositis proponit Seneca 2. de Ira 27. *Quam angusta innocentia est ad legem bonum esse. Quan-*
to latius officiorum patet, quam juris regula? quam multa pie-
tas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt, que omnia ex-
tra publicas tabulas sunt. Propterea etiam inter utramque speciem hæc differentia oritur, quod in priori sensu accep-
ta homo non necessitate proximum majori amore quam se ipsum prosequi teneatur, nec ejus omissione vitium generet,
aut propterea ad censuram pertineat, sed quod spe gloriæ aut felicitatis aliquis ita tanquam eximie virtuosus alterum amet.
In posteriori sensu necessitas & obligatio adest ut quis supra se amet proximum, aut ob omissionem delicti reus fiat.

Hic sub iuro. XIX. Nos in præsenti themate exuperantem hunc amo-
rem sub utroque sensu complectemur. Ne tamen statim
ab initio objiciatur, quod amor in debitum cadere non pos-
sit, quia virtus est, quæ talis esse definit, in quo compelli su-
mus uti Seneca in hunc sensum loquitur L. 3. benef. Cum res
honestas referre gratiam, definit honesta esse, si necessaria est. Et
Apostolus 1. Cor. 9. & se evangelizavero non est mihi gloria: ne-
cessitas enim mihi incumbit. Nam id de virtute extra præcep-
tū intelligendum erit, ex hac enim sponte homines virtuosa a-
gunt, qui perfectius placere volunt Deo hominibusq; Sed nihil
verat ad excolendam virtutem obligationem per legem quoq;
imponere, commonstrante hoc per omnia præcepta Decalo-
go &

go & ipsa Jurisprudentia. Nam sicut præcipitur amor iste simplex, quo proximum prosequi debemus, sicut nos ipsoſ Lnc. X. 27. ita in nonnullis casibus etiam præcipi potest amor proximi excellens amorem nostri.

XX. Opus vero erit, ut nunc quoque ostendamus rationes & fundamenta, quibus innixa Exuperantia amoris proximi posit procedere. Eam in Jure Divino reperiri fundatam, evincit, quod ad charitatem proximi admoneamus cum proprio nostro incommodo. Ita enim legitur Matth. V. 38. *Audistis dictum fuisse: oculum pro oculo & dentem pro dente. Ego vero dico vobis, ne obstat in injuryo, sed cedentite in dextram maxillam, alteram quoq. obverte.* Sit quod Salvator hic non agat de quavis injurya, sed de levi, qualis est alapa, dicta tamen haec sunt illis, quibus injurya facta, ut injuryæ suæ obliscantur, & ex amore in concordiam eant cum proximo. Et porro d. cap. v. 40. *Qui velet recum litigare, ut tunicam accipiat, dimitte illi etiam pallium.* Quod Irenæus ita explicat Lib. 4. c. 26: *Tollenzi tibi tunicam, remittit ei & pallium, sed non quasi nolentes fraudari contristemur, sed quasi volentes donaverimus, gandeamus.* Deinde eodem Matthæi cap. v. 41. *Qui angariabit te ad milliare unum, abi cum eo duo.* Angariare autem est omissis rebus suis viæducem esse, onus portare, jumentum aut vehiculum præbere. Unde sensus dicti est: duplum esse præstandum ei qui iniquus est in imponendis oneribus.

XXI. Proximum huic & alterum fundamentum est hujus amoris custodia societatis civilis, quam cum dispendioſum. II. nostro incolumem conservare, salus multorum depositit. Igitur virtiosi sunt omnes illi, qui tantum rei familiariter intenti, labore suo sibi necessaria parant & custodiunt, otiique amantes secum contenti. Reipublicæ negotia fugiunt. Unde modestè Cicero Lib. 1. Offic. reprehendit Platonem, quod pas-

Fundamen-
tum I. Exu-
perantia a-
moru hujus.

sim felices & justos pronuntiaverat Philosophos, qui procul habitis humanis curis soli suæ contemplationi vacant. Rerum enim & officiorum communicatione societas & coniunctio manet, sublata verò tali communicatione societas constare nequit Aristot. Lib. 5. Nic. cap. 5. S. 10. & 45. Tales tametsi neminem lèdunt faciendo iniquè peccant tamen omitendo contra charitatem proximi, deferendo cives & rem publicam, pro quibus unicuius præcipua cura esse debet.

Fundamen- XXII. Est & Necessitas fundamentum hujus amoris, quando proximum adeò premi videmus, ut ordinariis mediis ipsis amplius succurri non posít, quām cum nostro incommodo. Hic licet ordinata charitas pro nobis faciat legem, tantoperè tamen eam infringit necessitas, ut proximus nobis ipsis debeat esse charior, siquidem ea ex humanitatis officiis facit obligationem plenam, de qua audienda sunt Sapientum dicta Antiphon. in pr. Orat. 2. *Ipsa necessitas, ut omnes & contra naturam & condicant & faciant, cogit.* Et Diodorus Siculus Lib. 12. *Necessitas naturam vincit.* Curtius Lib. 7. *Necessitas ante rationem est & Lib. 8. Efficacior in adversis est necessitas quam ratio.* Pertinet huc Senecæ dictum in Troadibus: *Necessitas plus posse quam pietas solet.*

Fundamen- XXIII. Porro exigit Exuperantium amoris hujus æquitas in omnibus casibus, in quibus jus strictum pro nobis habemus. Sæpè enim favore Salutis publicæ conceduntur quædam summo jure, quæ tamen ab æQUITATE prouersus sunt aliena. Nam rectè Cicero ait 3. Officior 17. *Leges iniqua tollunt, quatenus teneri manu possunt; Philosophi quatenus ratione & intelligentia.* Unde qui solum ad leges vivit, nondum perfectè vivit, nec tranquillam potest habere conscientiam, nam Leges humanae impunitatem quidem dant præcepti transgressi in foro externo, at non ubiq; securam conscientiam præstant. Omnibus ergo istiusmodi in casibus amor

Pr xi

Proximi amorem nostri superare debet, & observandum quod inculcat Apostolus: ne quis supergrediatur neq[ue] circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de hisce omnibus i. Tbeſſal. IV. 6.

XXIV. His jungimus conventionem, quā ad extreum spiritum pro altero nos obligavimus, ut fit in Castelli Præfetis & omnibus qui ex conduēto se obligant. Perillam enim erga nos minor redditur charitas, adeoq[ue] non amplius quid nobis, sed quid alteri expediat, eligendum vevit.

XXV. Verum his quæ nunc proposita fortè non tantum graviter obſtabit, sed & planè ipsam existentiam Exuperantiae amoris erga proximum expunget, quod, dum proximum amare debemus sicut nos ipſos, casus evenire nequeat, in quo eundem magis quam nos amare possemus. Nam sicut unusquisque, si effet in tali ſtatu, quo nunc videt premi proximum, vellet quoque ita amari & ſibi ita quoque confuli, uti nunc oportet & poſtular proximus, ita ſi juvet in ſimilem modum proximum ſuum, id duntaxat facit, quod & ſibi aliquando vellet fieri, eundemque amat ſicut ſe ipsum, & regulæ juris naturæ obtemperat: quod tibi viſ fieri & alteri facias. Dubium itaque hoc & si quæ alia occurruint tollenda erunt, aut totus diſcurſus noſter delendus. Non ignoramus in dicto illo: amandum eſſe proximum ſicut nos ipſos, particulam *Sicut* non ſignificare paritaram aut gradum dilectionis, ſed ſinceritatē affectus, ut nempe eundem non tantum quantum nos, i. e. non fucato ſed ſincero amore diligamus, ac ei omnem gratiam, felicitatem & quæ homini ſalutaria evenire poſſunt, apprecedemur aut operemur, non æquè ut ejus ſalutem ſaluti noſtræ praferemus, illamque nobis chariorem eſſe jubemus *Azor.* *Inſtit. Moral. d. c. 5. lit. D. p. 1257.* *Pufend. de J. N. & G. L. 2. c. 5. §. 14.* *Amel. de Conſe. L. 5. c. 7. qv. 1.* *Ex quibus*

bus nunc conficitur, quoties in concursu amoris nostri & amoris proximi hunc amorem amori nostro præferimus, in gradu amorem proximi, nostri amorem præcedere, atque ita fieri quod amor proximi sit major, quam amor nostri, eoque ita certò constare, dari quandam exuperantiam amoris erga proximum. Neque movere, quod tamen aliquando nobis parile infortunium accidere possit, ubi pari modo nobis bene fieri velimus, ut nunc vult miser proximus. Nam ex aliquando accidente necessitate, quæ incerta, quæque pro remuneratione operum charitatis non est ponenda, charitas mea cum charitate proximi haut quamquam comparari debet sed attendendum, quid in præsenti statu à me fiat vel fieri debet, ubi commodis meis cedo in salutem proximi. Nisi enim in hisce terminis rem tractemus, vix diurna deliberatione aliquid certi determinari poterit. Accedit quod multis in casibus quis reciprocum amorem haut sibi polliceri possit, ut pote si Princeps vel Respubl. secum concurrat. Quod si tandem ex fati inclemencia incidat in parem necessitatem, etiam ad sui amorem tunc Proximum exuperanter obligatum habebit. *conf. Exod. XXIII. 4s. Deuter. XXII. 4.*

*Resolvitur
aliquid dubi-
um.*

XXVI. Porro non videtur ullum amorem erga Proximum majorem esse posse, quam erga nos ipsos, quia, licet cundem in aliquo casu cum dispendio vitæ & bonorum nostrorum amemus, semper tamen simul in nos aliquod redundabit commodum, administrum gloriæ aut honestatis, ob quod in illum amorem eo magis excitamur. Nam nec Codrus nec Decius, qui patriæ fuerunt amantissimi, se diis manibus devoiverunt, ut proflus suorum commodorum fuissent oblixi, qui probè neverunt, ex his in Rempubl. meritis, se nominis immortalitatem consecuturos esse. Unde etiam in hunc sensum graphicè Aristoteles scribit *Lib. 9. Nicom. cap. 8. S. 37. seqq.*: *Verum illud est, quod de bono viro dici solet, eum mul-*

ta amicorum & patriæ causa agere: atq[ue] etiam si usus postulat, corundem gratia mortem minimè gravatè appetere. Etenim negligit ille opes, honores ceteraq[ue] bona, vulgo magna contentione queri solita. Ceterum ita & non aliter ea negligit, ut sibi honestatem per id paret: maxime enim paulisper voluptate magna perfrui, quam dia remissa, unum annum honestè vivere, quam multos temerè & absq[ue] insigni dignitate. Unam deniq[ue] actionem magnam & honestam anteponit multis & iisdem parvis. Atq[ue] omnibus hic illis fortassis potitur, qui pro Patria vel amicis occubit; eligitq[ue] sibi talis, quod est apprēmē honestum. Summa certè ratione. Nihil enim magis convenit viro probō, quam rebus omnibus anteponere virtutem. Ad hæc omnia respondendum est, ratione ordinis hic majorem manere proximi amorem, quam sui ipsius. Primario enim aliquis intendit, ut taliter proximum amet. Quod si verò hunc amorem forte magis excident commoda quædam propria, id non nisi per consequentiam accidit, siquidem nihilominus ad ita amandum proximum obligatus esset, tametsi ista in se redundantia non attenderet. Jam verò propter, quod unum quodque est tale, propter illud multo magis est tale.

XXVII. Succedit aliud dubium, nimirum hunc exti- *Novum du-*
perantem amorem proximo non competere, sed esse talem *bium propo-*
proprium Dei, qui super omnia amandus. *Quod verum* ^{*natur & re-*}
quidem est, si in gradu excellentissimo amorem spectemus, *solvitur.*
nam Deus & supra nos & supra proximum, & supra omnia, &
quidem ex toto corde, ex tota anima & ex omnibus viribus
nostris amandus est. At amor Proximi, qui nostrum amorem
præcedit, comparativè tantum excellens est, quatenus idem
nostrum excellit, interim tamen infra illum summum amo-
rem est, quem Deo debemus. Danhauer, *Colleg. Decalog. D. ff.*
3. §. 51. Bezman. *Doctr. moral. c. 14. §. 4. seqq.*

XXVIII. Parum nostræ sententiaz obstat, quod scribit *Respond. ad*
Cicer.

lacum Cicero. *Tusculum* quest Lib. 3. Praetarum illud est, & reatum, & ve-
Tusculum, ut eos qui nobis charissimi esse debant, aquæ ac nosmet ipsos
lib. 3. amemus: ut verò plus, fieri nullo pacto potest. Ne optandum
quidem est in amicitia, ut me ille plus quam se amet, igo illum
plus, quam me: perturbatio vita si ita sit, atq; officiorum omni-
um consquantur. Nam hunc locum accipimus de ordina-
ta charitate ac de casibus regularibus, exuperantia verò
amoris erga Proximum extraordinarios quosdam casus re-
spicit *supra* §. 13.

An ad hunc
amorem a
liqua cog-
posit.

XIX. Vindicata itaque existentia exuperantiae amoris
hujus à potioribus dubiis, evolvamus nunc, an ad aman-
dum proximum supra se aliquis cogi, & formulâ quâdam
juris provocari possit? & posse non dubitamus, si exu-
perantia amoris hujus justitiae sit, quia hæc mihi jus tribuit
ad id ab altero petendum, quod mihi deberur. Si autem il-
la tantum est virtutis *supra* §. 19. aliter dicendum erit, quia
tunc est in debito, quo misericordia, gratia, fidelitas &c.
quod quidem sponte exsolvitur, & laudabiliter præstatur, sed
tamen non dat facultatem ad illud exigendum *Grot.* L. 2 c. II.
§. 3. cap. 22. §. 16. & c. 25. §. 3. n. *Pufend.* *de Off. Hom.* & *Civ.*
Ltb. 1. cap. 8. §. 8. & L. 2 c. 12. §. 5. Interim omissione ejus de-
generat in crimen inexcusabile, quod conscientiam affligit,
& Deum osorem habet, qui illud detractis remunerationi-
bus aliisque beneficiis non inultum relinquet *Grot.* L. 2. c.
20. §. 20.

*Quæ sunt
præmia ex-
hibiti huic
amori.*

XXX. Econtra Justitiae satisfactum est, & in Republ.
non tantum boni civis sed & boni viri officium implevimus,
quando nos huic amori obsequentes exhibuimus. Nec ces-
tabunt præmia L. Et virtutum 4. C. de Stat. & imaginque inter
homines sunt gratitudinis pensatio, & existimatio, quod quis
talem se gerat, cum quo tanquam cum viro bono & legis
natu-

naturæ observatore agi possit. Apud Deum verò animus impollutus & alia magna beneficia, de quibus Propheta Psal. 112. v. 2. Potens in terra futuram est semen ejus generationi rectorum benedicitur. Et v. 5. seqq. Bonus quisque gratiosè largitur & mutuo dat, moderatur res suas ex officio. Quia in seculum non dimovetur, in memoria perpetua est justus. Et. Psal. 41. v. 2. seqq. Beatus qui attendit ad attenuatum, tempore mali liberabit eum Iehova. Iehova servabit eum, & vita restituet eum, beatus redetur in terra. Et Salomo Prov. 21. v. 21. qui seculatur iustitiam & benignitatem, consequetur vitam, iustitiam & honorem add. ibid. c. 28. v. 27. & Syracid. c. 12. 2. cap. 14. v. 13.

Sectio Posterior Specialis Casus Exuperantiae Amoris hujus exhibens.

I.

O Stensis fundamentis & causis, quibus innititur Exuperantia Amoris erga Proximum, nunc illustrandæ ejus ingeniem a gratia proponamus etiam casus & exempla quædam. Sisti morem esse mus ex his primo loco amorem qui debetur Patriæ, nam ab erga patriæ omni seculorum memoria constat, in tanto pretio eam fuisse am. habitam, ut Prudentes pro ejus incolumente quævis impendenda esse judicaverint. Ita enim Lucanus 2. v. 382.

Naturamque sequi, patriæque impendere vitam
Et Cicero ad Herenn. 42. Nullum tantum est periculum, quod sapiens pro salute patriæ vitandum arbitretur. Idem paulo post: Sapiens qui omnia Reipubl. causa suscipienda pericula putabat, sa- pè ipse secum loquitur, non mihi solum, sed etiam atque adeò multò potius, natus sum patriæ! vita qua fato debetur saluti patriæ potissimum salvatur. Et deinde: Vehementer est iniquum, vi- tam quam à natura acceptam, propter patriam conservaveris na- tura, cum rogat, reddere, patriæ, cum rogat, non dare; & cum possis cum summa virtute & honore pro patria interire, malle per-

C

dede-

*dederat & ignoriam vivere. Ita Livius L. 9. c. 4. Evidem
tempore patria praelaram esse, fateor, & me vel devovere pro po-
pulo Romano, Legionibusq; vel in medios me mittere hostes, para-
sus sum Constatq; ab exemplis Codri, Decii, Reguli aliorumq;
sine horrore spontaneæ mortis patriam fuisse adamatum.*

*An amor er.
gaparium
sit à natura
varie ratio-
nes propo-
nuntur.*

II. Si in rationem hujus amoris inquiratur, fortè illam ex occulto naturæ instinctu ac inclinatione quadam ingenita hauriendam parabimus, quia patria primum nos exceptit in lucem editos, cujus aer nobis ad corporis & ingenii dispositionem salutaris est, ubi familiare oculis cœlum, flumina, agri, ubi longa serie cognati, amici, sodales, & tot gaudii illeceb-
ræ, quas frustra alibi terrarum querimus. Sed prostant in contrarium non minores rationes, præcipue quod Sapienti & animo forti universus mundus patria esse debeat, ut hoc indicat Hugo de S. Victore Didasc. L. 3. c. 2. his verbis: *Deli-
catus ille est adhuc, cui patria dulcis est, fortis autem jam, cui omni-
ne solum patria est, perfectus vero cui mundus exilium est.* Quod non in omnibus sint stimuli erga patriam, nam si locupletes illius amore cunctas curas sibi leves ducant Tacit. 15. annal. c. 36. inopes econtra & plebeji, qui rerum suarum satagunt, curam publicarum fugiunt. Sæpè ex leví causa patria mutatur, eq; omnis amor subtrahitur, cum pluris quis suam libertatem faciat, quam ut eam alliget certæ telluris particulae. Hinc apud Dionys. Halicarn. l. 8. legitur: *Patriam dum
prodest, pietate profequimur; si noceat deservimus, non propter lo-
cum eam amantes, sed propter commodum.* Ex quibus collige-
re licet, non adeò certum esse, in natale solum naturam nobis ingenerasse amoris affectum.

*Deciditur
negatur.*

III. Rectius judicabimus si statuamus non majorem posse erga patriam, quam nativitate fortius sumus, nobis esse amore, ac est erga aliam civitatem, quam sponte adscivimus, & in quam sedem fortunarum nostrarum transtulimus. Etenim illa ef-
ficit

ficit, ut simus idonei cives, hęc ut tales nos ostendamus campum præbet, & sine ulla majorum meritis commendatos in bona sua admittit Pufend. *Dissert. Academ. de Obligatione erga patriam S. 13.* Erga utramque verò æqualis causa in nobis amorem quandam excitat, quæ est, quod salvi vivamus in ea & in omnibus societatis commodis participes simus. & quod intelligamus, nobis ita bene esse non posse, nisi integra civitas sit salva. Unde pro ea conservanda, animosè omnes conatus nostros in illam convertimus, commodis ejus strenue invigilamus, malis autem ingruentibus fortiter resistimus, grati non tantum commodorum nostrorum gratia, sed & totius civitatis nos esse in Orbem editos Clasen *Polit. Comp.* L. 1. c. 7. §. 8. & L. 4. c. 7. §. 4. seq.

IV. Nam cum homini extra societatem vivere non fit *In concursu consultum*, quam primum civitatem ingreditur, jacturam *sai & Reip.* quandam admittit libertatis suę, quam habet à natura, quod *anoris hic multa tunc facere debeat, quæ positus extra civitatem non preferendum est.* fecisset, & multa omittere, quæ ipsi maximè cordi sunt, ad eō ut in concursu suę & Reipubl. salutis, hanc suę saluti anteferre teneatur. *L. un. S. 14. C. de Caduc. toll.* Cicer. *de Finib. 3.* Justin. *L. 28. c. 4. Liv. 20. c. 36.* Dicitat enim ipsi fana ratio, quod totum præstantius sit qualibet sua parte, & satis intelligit se saltem membrum esse integræ alicujus civitatis, quare toti tanquam nobiliori suis commodis cedendi sibi non injurious aut grave esse dicit.

V. Non solum verò erga civitatem vel Rempublicam in *Quod etiam* qua quis vivit hoc modo propensum esse convenit, sed etiam *de amore* erga Principis personam, quam quoque nobis ipsis longè *Principi de preijsiore habere debemus.* Considerandus enim est *bito avert.* Princeps tanquam Reip. imago, & Persona Rempubl. præsentans, quæ nihil exercere potest, nisi id exerceat per Principem, & vicissim hic nihil agit, quod non simul Respubl.

agere videretur, convenientque invicem ut Repræsentans & Repræsentatus, hinc in utriusque salutem subditos æqualem curam habere oportet.

Ostenditur VI. Equidem etiam ipsi Principes tanquam personæ sibi etiam Prin. relictæ sèpè compescunt sui amorem ob amorem erga Remcipem Rem. publ. & hanc sibi ipsis & commodis suis longè præferunt. publ. suam Constat hoc ab exemplo Fl. Vespasiani, qui inter tot Rei. sibi præferre. publ. curas, nullam suæ salutis, amicis licet adhortantibus voluit esse rationem, stantem Imperatorem mori decere ratus Cluver Epit. Hist. mundi p. 270. Et Trajani, qui tradendo pugionem Præfecto Prætorio his verbis: *hoc pro me utere, si reèle impero, si male contra me indicare voluit enixum studium suum pro populi salute, ut ne quidem Principis respectu, si contrarium ageret, vellet excusari.* Plin. Panegyr. c. 66. Zonar. annal. 2. in vita Trajani. Nimirum quia officium Principis est, regere & tueri Populum, omnia sua lubens insuper habet, ne illi quid decedat.

Cuius amoris casus qui rurantur. VII. Amoris exuperantis in Principe erga Rempubl. specimina occurunt, quando intermittit, quod summo jure Gentium & belli rigore ipsi tanquam victori belli in victos licebat. Tam latè enim patet jus belli ad hostem lædendum, ut non solum illos occidere licet, qui actu arma gerunt, sed & omnes qui intra fines hostiles reperiuntur Grot. L. 3. c. 4. S. 6. seqq. Verum charitas à Victore postulat, ut parcat infantibus, foeminis, senibus & omnibus illis, qui nihil ad bellum conferunt Grot. L. 3. c. 11. S. 9 seqq. Ad res vastandas nullus modus est positus, quia contra naturam videri nequit spoliare eum, quem necare honestum est L. 21. ff. de R. f. Cicer. 3. Offic. In quibus tamen cessat ratio necessitatis, non videntur vastandæ. Primarium enim summarum potestatum & ducum, qui Christianos se & à Deo & ab hominibus haberi volunt, officium est, violentis urbium direptionibus.

bus, & si quid his simile est, intercedere, ut quæ abire non possint, sine gravissimo multorum innocentium malo, & sèpè ad bellum summam parum proficiant: ita ut bonitas Christiana ferè semper, ipsa quoque justitia plerumq; ab istis abhorreat. Grot. L. 3. c. 12 §. 3. n. 4. Hæc sit ratio vincendi, ut misericordia & liberalitate se muniat victor. Hinc in imperio etiam plenissimo & quasi herili viatos clementer habeat, ita ut eorum utilitas cum victoris utilitatibus socientur, & ut videatur tantum mutatus rex, reliqua jura ipsis maneant ut ante fuit.

Idem L. 3. c. 15.

VIII. In primis tamen subditi nihil sibi utile, nihil sibi *An pati de-*
charum esse judicant, quod non malint pro Reipublicæ in-*beat civis ut*
columitate impendere. Ostendemus hoc non uno sed va-*& civitate*
riis casibus. Si adumbremus potentem hostem à civitate, *deseratur*
postulare desertionem civis innocentis, qui dexteritate sua
multum prodest civitati, sed quæ viribus *hoste postu-*
suis defendendos & impediendum exitum, quod hostis est
minatus, nisi postulata deditio secuta fuerit, is si à ci-
vitate excludatur, ex amore juvandi civitatem hanc cala-
mitatem ferre tenetur, & si fuga vel ausu quamvis pericu-
loso sibi consulere possit, hoc pro solatio apprehende-
re debet. Neque enim postulare potest, ut pro se & secum
tora civitas pereat ex conventione illa civium inter se & cum
capite inita, quæ placuit ab initio, cum coiret civitas, ne al-
ter alterum desereret, sed una esset salus omnium, & unum
ac commune periculum Ziegler ad Grot. L. 2 c. 25. §. 3. Nam
perpendendum ipsi erit, istiusmodi conventionem ad casum
extendi non posse, ubi ob conservationem unius periculum
toti civitati. Instituenda erit aliqua comparatio inter se &
totam civitatem, & cogitandum tolerabilius esse, ut unus de-
seratur, quam ut ob studium illius conservandi tota Respu-
blica extremam ruinam incurrat, maximè quia hac perem-

pta , etiam innocens in sui conservationem non haberet sufficientia præsidia Pufend. de J. N. & Gent. L. 8. cap. 2. S. 5.

*An ex chart.
tate sui tra-
ditionem
permittere.*

IX. Quid si verò hostis hoc desidereret, non ut deseratur tantum civis innocens, sed ut in manus suas à civitate tradatur, num etiam ille ultra ex lege charitatis sui ditionem permettere debeat, hic diverso responso expediendum erit. In primis atrendendum quo sine poscatur innocens, an tantum ut eo careat civitas, ne eam consiliis suis aut arte quadam adjuvet, an ut ab hoste occidatur, an ad scelus aliquod, ut sit adjutor & minister malorum, vel si foemina sit ad stuprum. In primo casu, quia tradendo non metuenda durior conditio, charitas illum ad hanc ditionem impellit, ne alioquin sui causa civitatem extremo malo involvat Vitriar. Inst. J. N. & Gent. L. 2. c. 25. qv. 4. De secundo casu disputandi ansam præbuit historia quæ extat apud Libanum Tom. i. Declam. 27. Tyrannus ex urbe propinqua postulavit formosum adolescentem adjectis de bello inferendo, ni traderetur, minis. Civitas bellum malum tolerare, quam adolescentem tradere. Cum jam gravi obsidione eam premeret tyrannus, pater adolescentis interfectum filium de mænibus proiecitur: cedis mox, soluta obsidione accusatus &c. Existimat doctiss. Hornius sine omni fructu talem ditionem fore, quippe si infimæ fortis homo postulatus, non gravi quadam intentione petitum videri, ut scilicet arma ponantur, sed ad protraheadum bellum, ut inhibet occasioni hostis proximè aliquid absurdius petendi. Si vir dexteritate rerum gerendarum publico commodus, non fore suam ditionem officium charitatis, sed hosti in suos facile procuraturam viatoriam. Nam neminem puratrum, confulurum esse civem clarissimum publico, si spontaneo discessu destitutus miseram futuram multitudinem, sed eum id potius effecturum, ut suos prodat, & latam viam sternat, quæ latro securius

grasse-

grassetur in apertam & suis firmamentis nudaram Remp. de Civitate L. 2. c. 2. §. 29. Verum quantæ sint hærationes, quia tamen à posse ad esse argumentum saltem inferunt, cuius consequentia est infirma, nos non vincunt, ut non potius autemus defendendam esse contrariam sententiam. Præsupponimus verò, civitatem certam reddi posse ex idonea cautione, quod hostis accepto innocentie cessurus sit obsidione & omni hostilitate ac civitati plenam relietur securitatem, & ira putamus innocentem ex charitate obligatum esse, ut se dedat hosti, cum intelligat, se solum in cauila esse, quod totale excidium civitatis hostis moliatur. Nam si ita æstimate debet subditus civitatem, ut non horreat sanguine suo redimere salutem ejus, qui chara posset ea sibi esse, si nunc cum posset sua deditio ab interitu eam non liberare vellet. Tantum verò absit, ut concedamus, hoc modo deditum sui cædem directè spectate, nam adhuc multa intervenire possunt quæ veniam eidem conciliant, is enim primario ad placans, dum hostem voluit se sistere, et si in cædem postulatus sit, quam quia ex suo delicto non promeruit, eandè deprecandi eo maiorem fiduciam habet vid. Tesmar. ad Gros. L. 2. c. 25. §. 3. lit. b. De tertio casu nullum dubium subest, pro ista deditio nulum charitatis officium pugnare, cum malorum & scelerum nemo satelles esse possit, neque gratam rem se civitati facturum esse credendum est, cui non nisi rationale obsequium placere potest L. Filius 15. ff. de Cond. Inst. Horn. d. §. 19. n. 7. in f. Beccm. Med. Pol. cap. 21. §. 10 in f.

X. Si hostis postulatum sit indefinitum, ut aliquis civium *An se dedit.*
se in specie eidem offerat, & mortem subeat, quasi ex officio *tioni offere*
charitatis ad hoc sit obligatus, non videtur asserendum. Li. *si hostis inde-*
cet enim nec hoc casu amor meus erga patriam extenuetur, *finit civem*
quia tamen non solus sum, qui patet ad complacandum ho- *petat.*
stem, etiam præ cæteris civibus non fortius vinculum ad hoc
peri-

periculum me obligat. Quod si verò sortis iudicium adhibitum, & sententiā ejus me audiam condemnatum, non amplius sine laſione charitatis huic fato recalcitrare potero, quia fors in ambiguis, quæ humano consilio expediri nequeunt, quid faciendum sit indicat. *Act. I.v.26.c.1.C.26.qv.2.L.14. ff. de Judic.*

An pati in d. XI. Id satis liquet neminem ad patientiam mortis, seu civitatem ex hostiis postulante Tyranno jugulum offerat & patiatur à civitate occidi, amorem civitatis obligare. Nam ne quidem civitati, volenti innocentem tradere, parendum est, si is sponte non consentiat, ne dum ut à civitate mortem immeritam excipiat, quia in tales ulus vitam suam civis non obtulit, & majoris curæ debet esse civitati vita suorum civium, quam ut eam declinando periculo civitatis, aut adquirendo aliquo bono parùm necessario prodigat. Quando se sponte postulatus offert, exuperantem amorem erga Rempubl. contestatur, & sub spe mortis evadendæ jure cedir, quod sibi debebat civitas; quando verò à civitate traditur invitus, injuriosè omni protectione exiuit. Si planè occidendum, & patientia, ejus exigitur, irrationalibilis illa est, & quæ ac factum injunctum sele præcipitandi de turri, insiliendi in ignem, aut se aquâ suffocandi, quod moraliter malum est. Non quidem ignoramus ex Sacris constare, Viros Samariæ occidisse, septuaginta filios Achabi timore belli, quod Jehu minatus fuerat, & factum istud Deo placuisse *2. Reg. X. 6. seqq.* Nam etiam hi sine peccato tor innocentes occidere non potuissent, si non voluntas fuisset Domini, qui jus vitæ & necis in omnes habet, ut progenies Achabi extingueretur, siquidem ad hoc Deus inunxerat Jehu, ut domum illius delerer *2. Paralip. XXII, 7. Leonard. Less. de Just. & Jure L. 2. c. 5. Dub. 7. n. 37.*

*An pro Re-
publ. adcer.* XII. Nonnunquam placet Principibus ad extinguendas crecentes bellorum calamitates, ut singulare certamine duorum,

rum, ab utroque belligerantium delegatorum certetur in-^{tamen singu-}
vicem de victoria, hoc pacto, ut palmam reportans ex isto ^{lare se ali-}
conflictu, faciat toti ejus exercitui victoriam cedere, qualiu[m] offerre
certamine pugnasse constat Horatios & Curiatios in causa ^{offerre posse.}

Romanorum & Albanorum Val. *Max.* Lib. 6. c. 3 Conf.

Bodin. *de Republ.* L. 4. c. 7. p. m. §. 742. Non videtur omnino usus certaminis hujus improbandus, si benignior modus rem definiendi se non offerat, quia multorum sanguinai parcitur, & cum permisum infestis inter se exercitibus concurrere, ac multorum nullum periculo cædibusque lites dirimere, quanto magis licitum esse debet, paucorum

conflictu controversiam componere Grot. L. 2. c. 23. §. 10. Hennig *ad Grot.* L. 2. c. 1. §. 15. Laymann *Theol. Moral.* l. 3. tr. 3. part. 3. c. 3. n. 3. De eo tamen dubitatur, an ex amore erga Rempubl. aliquis se salvâ conscientiâ ad hanc pugnam offerre posse? ex sententia Riveti *Praelect.* in cap. 20. Exod. p.

311. putantis Principem si alioquin justum bellum gerat, & saltem metuat, se probabiliter succubiturum, nisi bellum mutet in duellum, tale decernere non posse, quia nunquam mala facienda, ut eveniant bona, & quia fide erga Deum perseverandum, qui non minus per paucos victoriam dare potest, quam per multos, videtur questio neganda, ne alioquin quis ministerium malorum fiat. Verum nos ex meliori ratione de contrario persuasi sumus, quia, qui se offert ad hanc pugnam, officii sui partibus satisfacit, quæ sunt defendere Rempubl. & hostem prosternere, maxime quod non privata sed publica autoritate ac boni publici causa descendat in illam, quæ non ex diffidentiâ aut prorsus desperato animo suscipitur, sed quia minus malum putatur. Unde quoq[ue] appetet ex Sacris, Davidem se tali pugnæ obtulisse, quando à Rege Saule adversus Goliathum ex sponsione ipsius: *Si prevalebit pugnando contra me, ita ut*

D
perch-

percuriat me, utique erimus vobis servi: si autem ego prævaluero ei, ita ut percutiam eum, viciam eritis nobis servi, eam perebat his verbis: ne concidat animus ullius propter istum, servus tuus iterus est, & pugnaturus contra Philistaeum istum i. Sam. XVII. 9. 32. quæ tamen nullibi à Deo improbata legitur.

*Subditus pro
Principe se
vitæ pericu-
lo exponere
debet.*

XIII. De ipsa persona Principis nunc quædam propnamus, quæ quod sancta ob Majestatem, quæ eandem inhabitat, & quod multis utilis, omni vitæ subditi haberi debet pretiosior. Hinc si Princeps in periculum vitæ incidat, subditus se illi objicere debet, etiam cum vitæ propriæ jactura. Quod fecisse legitur Nobilem illum Ribischium, postea Löserum dictum, qui Mauritium Ducem Saxoniz singulari pietate contra Turcarum hostiles ictus protexit, apud Schleidanum Lib. 15. hist. Balduin. de Cas. Conf. L. 4. c. 17. n. 8. Nam hac ratione brachium periculo exponitur, ne pereat caput, à quo pendet totius corporis salus. Azor. Inßit. moral. P. 2. Lib. 12. c. 4. p. 1256. lit. D.

*Inusitens &
Principe in
vasum etiam
enim jactu-
ra ei cede-
re seneat*

XIV. Quamobrem etsi Princeps invadat innocentem, & hic videat necessarium vitæ suæ & vitæ Principis discri- men, ut non possit pugna sedari, nisi uno interempto, adhuc subditus parcendo Principi spiritum suum mittere debet, mortem suam pro injurya felici reputans, quæ cum successu majoris boni compensatur Dn. Beccm. Diff. Felices in- jurya cap. 1. §. 5. Qualicunque enim modo occiditur Princeps, etiam per defensionem, obsequium illud, quod in fide Principi præstanda consistit, exsurgit, & majestas quam improbisima persona quoque retinet, læditur, ut hinc nihil subdito contra tales asperitatem superesse posse, quam ut Deo causam suam commendet, & patientiâ animum suum obfirmet i. Sam. XXVI. 9. Hennig ad Grot. L. 2. c. 20. p. 859. Soto. de Just. & Jur. Lib. 5. qu. 1. art. 8. Frivolum hinc est

est statuere contrarium, quasi ipso facto Princeps qui invadit innocentem, Princeps esse definat, & latronis personam induat, ideoque naturalis defensio subjectionis respectum prorsus aboleat Vasquis quæb. illustr. L. i c. 18. n. 2. Bachov. ad Tr. V. 2. D. 32. th. 6. lit. F. Struv. de Vind. privat. cap. 4. aph. 4. Nam nulla lex existit, quâ tale caveretur. Omnidè nec ex hoc facto sacro sanctus ille character Principi impressus continuâ exiuit, & propterea si occideretur, Divinæ Majestatis character proculcaretur, ac präcipuum Reipubl. membrum summoveretur, quod sine summa rerum confusione accidere non posset Dn. Thomas. Jurispr. Divin. L. 2. c. 2. §. 48. seq. Lederer de jure belli priv. L. 2. c. 3. §. 7.

XV. Hunc exuperantem amorem cuivis personæ deberi, cuius vita multis est utilis, mors verò perniciofa, scilicet ut æquè invasus ab illa sui internacionem pati debeat, eo quod ejus non minor sit ratio quam Principis, statuant Tesmar. ad Grot. L. 2. c. 1. §. 9. lit. a. Lessi. d. l. Dub. 8. n. 42. Contrarium de Magistratibus Principe inferioribus adstruit Lederer c. l. §. 8. quia illis, si injunctè & contra legis tenorem, aut superioris voluntatem procedant, resistere licet, ut hinc etiam illos cum sua internecione repellere non nefas fuerit, si invadant innocentem. Stant præter has rationes in utramq; partem adhuc plures non adeò vulgares, quæ alius de hac quæstione cogitanti difficultem faciunt ejus decisionem. Nobis heic loci ita philosophari lubet, perdifficilem esse comparationem personæ vilis quæ invaditur, & personæ invadentis, quæ pluribus dicitur utilis, cum ex oppositione aliorum hæc non ita utilis, illa verò non ita vilis esse possit, proindè in determinatione hujus qualitatis semper dubium remanere. Præterea in Principe id eminentiaz occurrit, quod character suus sanctimoniaz personam

*An etiam
alii personæ
multa utilit.
negat.*

nam suam inviolabilem reddat, qui nullus in privato est, qui idcirco quoties deviat, omnem suum respectum perdit, & ut homicida hic incurrit poenam ultimi supplicii. Quare magis placet cum negantibus statuere, cum virtute suæ dispendio innocenter invasum non teneri cedere invasori multis utili.

An Legato invasori ne-gat XVI. Idem de Legato in territorio Principis ad quem dimissus fuit innocentem invadente statuimus. Quamvis enim ibi degat cum charaktere repræsentativo & sanctus sit *L. fin. ff. de Legatione*, sanctimonia tamen illa non contra jus & æquitatem extenditur, sed ea tantum adversus injurias præsidium porrigit *L. 8. ff. de R. D.* cum absonum foret, sanctimoniam delictis tribuere, aut ex delictis jus sacro sanctum, ex impuro sacrum producere. Quod itaque per modum naturalis defensionis cuicunque licet, id quoque invaso licet contra invasorem Legatum Grot. *L. 2. c. 18. §. 4. n. 7.* Quem ex delicto quoque apud Principem, ad quem missus fuit, conveniendum esse statuit Dn. Coccej. *Diss. de Legato Sancto non impuni cap. 2. seq.*

Quando cum incommode bonorum no-strorum Reip. subve-nientium. XVII. In bonis suis & fortunæ accessionibus subditus tantum lucrum non ponit, ut non malit illas in commune bonum impendi, quam privatim suis usibus assertari. *Id modo* inquit Liv. *Lib. 34. c. 3.* queritur, si majori parti & in sumمام prodest; si quid cuiquam privatim officiet jus, id destruit & demoliat. Quam primum enim in Rempubl coeunt cives, suo consensu obfirmant salutem ejus, pro qua ultimum spiritum, nedum bona sua exponunt, tantoperè ut ne gratiosis Principum indulxit sibi velint consuli Menoch. *Consil. 1007. n. 75.* Cabedo. *P. 2. Decif. 75.* Proinde est istud in bona subditorum Principi competens Dominium Eminens, analogum juri Divinæ Majestatis, quod ex creatione in personas & res obtinuit, sed ab illo non aliter exercendum,

dum, quam tempore necessitatis publicæ. Ut Achabum à peccato non excusare licet, qui extra necessitatem & usum publicum obtenuit domini eminentis vineam eripiebat Nabotho Joh. Frid. Horn. *de Civit. Lib. 2. cap. 4.* Bœcler. *Diss. de Dominio Eminentia.*

XVIII. Exprimunt hæc exempla maximè amorem erga suam civitatem. Exferit se tamen aliquando occasio ut & *lum pro amicis* erga aliam Rempubl. *talem amorem contestari possimus. Sic et fuscipiemus ad juvandos amicos obligamur ut pro illis bellum suscipiamus.* *Quando bellum* sola amicitia rare, licet illis auxilium nullum promissum sit. Fecit hoc Abrahamus, qui pro Lotbo cognato arma sumit. *Genes. XIV. 14.* Carthaginenses auxilia promittunt Tyriis, quos parentum loco colebant *Curt. IV. 2.* Et Cærites misericordia consanguinitatis Tarquinienibus opem ferunt *Liv. Lib. VII. 19.* Neq; putamus ad hæc obligatum quem esse demum, quando facile & sine incommodo auxilium exhibere potest, ut sentit Grot. *L. 2. c. 25. §. 5.* sed & si opus, ut fiat cum incommodo nostro, quia hoc regulæ amicitiae exigunt. Nisi forte gravissimum esset incommodum, toti Reip. nostræ periculosem, quo casu cura subditorum prævaleret legi amicitiae Obrecht. *ad Grot. d. L.*

XIX. Transeamus nunc ad singulas personas, & qui præ nobis amandi ostendamus. Rursus vero de casibus pri-
mum tractandum, ubi ad usque vitæ nostræ dispendium
jubemur proximum amare, deinde ubi cum jaætura bonorum
nostrorum. Quod dum demonstrare allaboramus, ante
omnia monendum erit, nunquam legem naturæ aut re-
velatum aliquod scripturæ principium præcipere, ut quivis
cujuvis alterius vitam suæ vitæ præferat, & mortem vi-
cariam pro alio suscipiat *Deut. XXIV. 16. Ezech. XVIII. 20.*
sed cæteris paribus quemque sibi proximum manere. Unde
prorsus absurdas fuisse devotiones constat, quibus Suldu-

rii se pro his quorum amicitiae se dederant ad mortem de-
voverunt Jul. Cæsar. bello Gall. L. 3. c. 23. Val. Max. l. 2.
cap. 1. omniq[ue] rationi eas repugnasse, utpote quæ magis
vanam fidei & fortitudinis ostentationem circa ullum
usum habuerunt. Afferimus hinc, licet velint aliter Andr.
à Matre Dei Theol. Moral. Tr. 13. c. 2. Rerit. punct. 1. S. 3. Less.
de J. & J. L. 4. c. 9. n. 30. seq. neminem obligatum esse, ut
se objiciat telo volanti, ne feriat amicum, aut ut occurrat
hosti aut bestiæ furenti in gratiam amici. Nec præcipere
jus naturæ, ut tabulam occupatam propter amicum deserat,
& soundis sine spe evadendi committat, aut ut in extrema fa-
mis necessitate alteri panem porrigat, quo vitam conservet,
ipse vero moriatur, nam in omnibus hisce amor ordinatus
manet, qui à se ipso incipit, neque proximum præfert. Azot.
Instit. moral. l. 12. c. 4. p. 1255. lit. A.

*Quando pro
private vita
periculum
subeundum.*

XX. Nihilominus videmus, nonnunquam pro proximo
vitam nostram exponendam esse, quod ex quibus principiis
deducatur, nunc paucis demonstrandum erit. Id quidem
non habet difficultatis, & extra controversiam est, si qui ex
speciali pacto cum vitæ periculo se ad defendendum aliquem
obstinixerunt, veluti milites, quod præsentaneam mortem hor-
rere non debeant, nisi velint gravissimas poenas incurrire
Osiander Theol. Casual. P. 2. p. 1200. Verum etiam extra hunc
respectum & ultra aliquis pro altero vitæ periculum refugere
non debet, si non directè in illud infiliat, sed consequenter
saltem vitam perdat, ut si proximum in aquarum vorticibus
perilicitantem videat, & cum spe salutis suæ eundem liberare
possit. Si enim laudatur David, quod oviculam è fauibus
Leonis eripuit, quidni laudandus ille, qui hominem è præ-
sentaneo periculo. Vitam enim nostram in periculum ac-
ducere prohibemur tantum, si ex intentione illam tanquam
nobis exosam eo deducamus, vel sine causa auferamus.
aut

aut conservare omittamus, non si spem salvam nobis videamus eandem conservandi. Danhauer. Coll. Decal. c. 2. p. 575.
Pufend. de J. N. & G. L. 2. c. 4. §. 18. & de Off. H. & C. Lib. 1.
c. 5. §. 4. Huic jungimus, si Deus causetur gravem & urgenter necessitatem, ad quam solvendam nil nisi hominis vita impendi possit, tunc enim tenetur aliquis vitam suam jactare, eo quod ipse hoc loco velut licitum remedium intercedat pro salute aliorum Dn. Thomas. Jurispr. Divin. L. 2. c. 2. §. 145. fegg.

XXI. Hujus posterioris membra exemplum occurrit, si *An in sua
vita multorum periclitetur, & tantum, nisi omnibus pere-
ma cibi pen-
undum, ad plurimorum salutem alicujus mors sufficeret
ria aliqui se
Finge clarius, esse quosdam in summa vita penuria con-
stitutos, uni autem vel alteri à ceteris vel forte intimari, se
liquorum ad
esse mactandum, ut insumtione suæ carnis ceteri vitam suam
mactandum
conservent, queri hinc potest, an ille salva sua conscientia sit? Aff.*
jugulum suum offerre posse. Docet hunc casum historia de sepiem Britannis, qui se accinxerant in insula Christopha-
riana, unius solummodo noctis itineri, ultra quam etiam non extenderant commeatum. At interveniens tempestas abripuit imparatos longius in mare, quam ut potuerint reverti ad portum destinatum ante diem septimum decimum. Cum igitur omnimoda inedia premerentur, adgebantur tandem ancipiè sorti committere, cuius carne urgentem famem, & quo san-
guine compellerens inexplicabilem sitim. Sed jacta ales distinxit prima eadi primum hujus lantere autorem, qui fuit vir non magis promptus in dando, quam imperterritus in sustinendo consiliu sui eventu, addens confidenter meticuloſis animum & obtestans praesidium ab audacia maturandum, seque libenter fortune cœſurum, immo beneficii loco accepturum, siquidem vel mortuus amicis prodeſſe posset ex Nicol. Tulpio Observ. Med. L. 1. c. 43. Osiander. d. Tr. p. 2. p. 1272, Ziegler. ad Grot. L. 2.

c. i. §. 3. Ad questionem respondemus, miserabilem quidem esse ejusmodi mortem, non tamen injustam, quia non servus in se est, qui, quod videt sibi tamen pereundum esse, fortis sententia cedit, & non resistendo mortem recipit, ne omnes secum multo miserabilius pereant. Neque animam suam videri potest vili facere, quia citra necessitatem eandem non projicit. Nec reliqui crudeles videri possunt, ob homicidium, quod perpetrant, ut videtur Zieglero d. l. quia non cædem ullius intendunt, sed in salutem omnium sortiuntur, & saltē indirectè mortem alicui certo inferunt
 Dn. Beclm. Doctr. moral. cap. 9. §. 11.

An usum. XXII. Simile exemplum occurrit, quod pari justitia pore naufragii in scapham, quæ ad omnes ferendos capax non est, & tamen nec peculiari jure ad unum illorum pertinet, quod, quem sors ad projiciendum destinavit, teneatur mortem præ reliquis suscipere vid. *Jone cap. 1.* Suum enim interitum non minus timendum habet, si maneat in scapha, quam si projiciatur. Unde si nollet judicium fortis subire, possit etiam invitus præcipitari, tanquam talis qui reliquorum mortem accelerare vellet Pufend. *de J. N. & G. L. 2. c. 6. §. 3. inf. & de O. H. & C. L. 1. c. 5. §. 20.*

An cum vi- XXIII. Ad prius membrum pertinet, si videam aliquem te periculoso sub cruento inimici gladio semianimum, spes verò resul- tencar ad liberandum ab alio invasum. tgeat, tum quod ille liberari, tum eriam collectis viribus vi- cissim socius haberi posit, si vir sanguinis ab illius jugulo revulsus, auderet conversis armis meum petere, hoc casu ad juvandum miserum me charitas impellit. Cognatio enim, quæ ab ipsa natura inter homines, ut quoddam uni- versitatis corpus spectatos, introducta, singula obligat membra, ut non modo id agant, quod ad integri & totius con- ductum salutem, sed & quod ad membra consociati facit con- serva-

servationem conf. Lederer. *de jure belli privat.* L. 2. c. 6. §. 4.
seqq. Supponitur tamen, adversarium hoc casu non ita armis esse instructum, aut manu promptum, ut non coniunctis viribus superari posset. Dn. Stryk *Diss. de jure hom.* in se ipsum cap. 3. n. 29.

XXIV. Cum sint quædam genera functionum & labiorum, quæ hominis vires non tantum magnoperè atterunt, *An quis usum coactum coactum inferiat* sed quoque ita afficiunt, ut maturius senium vitæque terrena *possit probabilem occasio-* minus ingruat, quâm si mollius vita fuisset disposita, non *onem brevitatis* immerito dubitatur, an aliquis posit probabilem occasio- nem brevioris vitæ apprehendere, quo talenti sui usum eo *orū vite alia gerere.* largius aliis hominibus impertiat? & posse affirmamus, quia *ergo.* non nobis solis vivimis, sed & Deo & societati humanæ. Si ergò vel gloria Creatoris vel salus Societatis humanæ vitam nostram velut depositat, non possumus reluctari, sed potius libenter eam ad istos usus conferre debemus. Ad reddendum enim illi obligamur, quod dedit, pro hujus verò salute nobis nostra nulla pretiosiora esse debent. Quamvis ut sine scrupulovitatem nostram ita consumamus, necessum ut iste labor sit honestus & necessarius, & singularibus donis quis instruetus sit, ut speratam utilitatem patriæ afferre possit, cæterum que saltē probabilis occasio sit brevioris vitæ Pufend. de J. N. & G. l. 2. 14. §. 17.

XXV. Quæ diximus hactenus concernunt ius primis exuperantem amorem pro vita proximi temporali- *An pro alterius vita spiritus rituali debet ad aliam classem,* & si vita proximi spiritualis conferatur cum vita nostra temporali, iustremus, urrum aliquis ad illam salutem *anum vitam nostram remittat* vandam vitam suam periculo exponere teneatur, utpote si *poralem per-* periclitetur salus æterna infantis moribundi nondum baptizati, & sine vitæ periculo baptizari non possit, an ad illum baptizandum aliquis accedere debeat. Quod si vocatio sua aliquem ad hoc officium incitet, nullum suberit dubium,

E

quia

qui subeundum sit istiusmodi vitæ periculum. Verum existimamus etiam extra talem vocationem proximo ita periclitanti subveniendum esse, si alioquin spes firma adsit, eundem per nos juvari posse. & ob subventionem nostram non aliundè majus incommodum metuendum, quia quanto major spiritualis salus proximi, quam vita & corpus nostrum est, tanto magis etiam ista in collatione vitæ nostræ præferenda erit. Nam id velle Apostolum, sensus dicti præ se fert: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere 1. Ep. Job. III. 16.* Et Augustinus disertè loquitur de Mendac. c. 6. Temporalem vitam suam pro eterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere vid. Azor. Inst. moral. P. 2. Lib. 12.c. 4. p. 1250. lit. C.

Exemplum XXVI. Itaq; etiam animarum Pastores ad conservandam infectorum spiritualem vitam, periculum contagionis haut vereritentur. Bonus Pastor animam suam dat pro oviibus suis, mercenarius autem fugit Job. X. II. Vita enim temporalis Pastoris hic maximè necessaria est ad conservandam ægrotantis vitam spiritualem Ofiander Theol. Casual. P. 2. p. 1199. Thum. Explie. Decal. p. 42.

An ob salu. XXVII. Annon ergo ex dictis inferri poterit, invasum eternam permittere teneri, ut ab injusto invaleore occidatur, vel invasoris saltē ex charitate ipsum laudabilis facere, si malit occidi, invasus sui quām invasorem suum occidendo priuare æterna salutem? Statuunt hoc aliqui, quia si invasor in mortali peccato extingueretur, periculum æternæ salutis ipsi præpararetur. At justitia non videri conveniens, ut minus nostrum malum de pellatur cum graviori alterius malo. Less. de J. & J. L. 2. c. 9. Dub. 8. n. 5. Thomæ 2. qv. 26. art. 5. Verum observandum non universalem esse charitatis obligationem, quā remunatur ad procurandam æternam proximi salutem, sed eam restringi ad casum necessitatis, nempe si proximus sine interventione nostra juvari non possit Ziegler ad Grot. L. 2. c. 4. S. 8. EC-

8. Ecquiverò de injusto invasore dici potest, se in necessitate esse constitutum, seque propterea ope nostra indigere, cum potius suā malitiā & sponte nos adversus se ipsum provocet, & sibi ipsi incommoda à nobis metuenda acceleret, qui, nisi nos invaseret, intra tuta præsidia constitutus mansisset. Facit pro negativa sententia, quod si parcendum malitioso invasori, improbitati majorem favorem affururum quam pietati, dum hoc modo omnis petulantissimus invasor velut inviolabilis redderetur, & omne moderamen inculpatæ tute læ tolleretur, atque ita homicidiis ac latrociniis impunè partendis fenestra aperiretur Lederer de jure belli priv. L. 2. c. 1. §. 8.

2. Pufend. L. 2. c. 5. §. 14. Ofiander ad Grot. L. 2. c. 1. th. 6. Obj. 3.

XXVIII. Quid verò si invasor sit persona, quæ peccato Nisi ab inva-
caret utpote infans vel extremè ebrius? putamus rectius no am ebrio
agere invasum, si pro conservanda invasoris æterna salute non invasus.
occidat eundem, sed, si nullo alio modo periculum alterutri-
us declinari possit, potius vitæ suæ jacturam admittat. In-
ter hunc enim & præcedentem casum manifestum appetat
discrimen, quod in præcedenti casu extrema invasoris mali-
itia illum omni commiseratione reddat indignum, hic verò
defectus rationis summoperè eundem commendet. Ut ve-
rò evitemus objectionum anfractus, supponimus invasum
de salute sua non desperare, sed certum esse de gratia Divina,
quam cum contrarium sentientibus nobis non adèd diffici-
lem aut dubiam reddere convenit, quin sine scelere eam,
tanquam sequestratam, nobis imaginari non licet. Proinde
si placet, suppose clarius: inter preces aut alios actus devo-
tos aliquem ab infano aut ebrio invadi, nos invasum secun-
dum charitatem rectius asturum putamus, si intermittat occi-
sionū invasoris, & se occidi patiatur, ut ita invasorem liberet
ab infernali interitu. Grave quippe est morsu meo innocen-
tem in nihilum redigere, & nobilissimam Dei creaturam ad

imaginem suam conditam prostertere, eundemq; tam temporalium quam aeternorum bonorum exheredem reddere, sola virtue meæ temporalis continuandæ cupiditate, quæ tamen num longius mihi sit affutura, æquè incertum est, ac non satis constat, annon hoc ultimum virtue meæ momentum esse debuit. Cavendum tamen ne accedat prætensi meriti singularis affectus, qui non expediendæ proximi sui salutis, sed stultæ cojusvis gloriae fiducia & argumentum esset.

Tolluntur XXIX. Sed ne vincat multitudine Patronorum contraria sententiaz examinemos nunc pondera argumentorum illorum. Volunt sui defensionem non esse arbitrii sed præcepti, me nullo jure teneri exitio meo procurare alterius salutem, adhuc incertum esse, num salvus invasor damnationem sit evasurus, hinc virtue meæ conservationem tanquam tutissimum eligendam, cum eligendi postea non redeat arbitrium. Verum quantum ad primum, nondum omnes agnoscent, defensionem sui esse præceptum à natura, sed volunt eam tantum vaderi & permitti Zieg. ad Grot. L. i. c. 4. §. 2. Concesso tamen esse præceptum de defendenda vita, procul dubio hoc accipiendum erit cum hac limitatione: nisi aliquid justius obster. Alioqui illud ad mortem damnatum videretur terrere, & illum obligare, ut contra carnificem se defendet. In præsenti verò casu charitas salutis proximi obstat, quæ vetat ut favore minoris mei commodi defendam cum maximo ejus scilicet salutis æternæ dispensio. Exinde verò hæc omisso tanto fit justior, quod invalidus non affecter mortem suam, sed potius eam aversetur & abhorreat, & tantum non resistat, ne invasorem in extrebas temebas deducat B. Brunnem. ad L. 3 ff. de J. & J. n. II. Alteram rationem expungit, quod saltē directo & inevitabiliter exitio meo alium juvare non debeam, manet verò, ad hoc me obligatum esse, si tantum consequenter vita mea periclitetur

tur vid. §. 20. h. Secūl. nam de hoc intelligi potest præceptum, ut animam nostram ponamus pro fratribus 1. Joh. III. v. 16. Danhauer. Colleg. Decalog. Disp. 9. qv. 1. Quin li & demus, de jure neminem teneri exitio suo alterius salutem procurare, secundum charitatem tamen aliud statuendum erit. Num verò invasor salvus servatus salutem æternam sit adepturus, an rursus exorbitando damnationem incursum, mortem invasi damnabilem non reddit, qui inter illas vita turbas, quod saluti invasoris tutissimum videbatur, eligendum sibi pro religione ducebat, quiq; nec in perpetuum de ejus salute cogitandum habet. Ut proinde nec obstet, quod pro tertia ratione contraria adductum fuit.

XXX. Minimè verò exindè colliges, invasum occisum ab invasore hac ratione ut propriidam considerandum esse, quasi quod alieno ministerio in sui internacionem usus. Nam propria appetit & jubet homicidium, invasus magis istud abhorret & tantum non resilit. Quæ non resistentia an pro autocheiria habenda, satis ex antecedentibus liquet.

XXXI. Qui ad evitandam mutilationem membra insultatori resilit, non minori venia id facit, quam qui pro defensione vitæ suæ, nempe quod & mutilantem occidere possit, quia membrum maximè nobilium non minoris estimatur, quæ ipsa vita L. 4. §. 2. ff. ad L. Corn. de Sicar. & hostis mihi fit, qui mutilationem ejus intentat, datque licentiam procedendi adversus se ipsum in infinitum Pufend. L. 2. c. 5. §. 10. Quatenus tamen morali certitudine vita invasi non periclitatur, rectius facit, si ex charitate malit vulnera quæ invasoris cædem, quia æqualitas deficit inter membra & vitam, ac Deus ipse in sua lege ob' membrum ruptum ultra talionem nihil exigit Dn. Rosser Instit. moral. L. 1. c. 5. q. 32. Testm. ad Grot. L. 2. c. 1. §. 6. lit. a..

XXXII. Casus hucusque lustravimus, in quibus vita & Casus exupe san-

vanus Amo ria huius con- tra jum stri- ge Commissaria. sanguine nostro proximum exuperanter diligimus. Nunc ostendamus quando rebus & patrimonio nostro id fieri debet. Ad hoc in omnibus casibus obligati sumus, in quibus jus sumnum pro nobis habemus, quia hoc ut dictum

Secl. prior. f. 23. æquitate caret. Unde qui vendidit alicui merces sub lege commissoria, emptore intra conventum tempus pretio non solvente, potest post hoc elapsum agere ad rem venditam cum fructibus & cuiusvis damni æstimatione restituendam L. 6. §. 1. ff. de C. E. V. L. 4. pr. L. 5. inf. ff. de lege Commissor potest retinere arham datam L. 6. pr. ff. de Leg. Commiss. & pretium jam tum pro parte solutum L. 4. §. 1. ff. cod. Verum aliter sese gerere debet ex charitate erga emptorem, quia haec non permittit, ut aliquid ultra rem non deterioratam exigatur, eo quod jus sumnum illud emptorem nimirum gravet, quod solummodo ejus coeteri causa ob fidem conventam & non servatam introducitur est. Quare cum legis hujus durities observata, eandem non pauci celebres Jcti restrinxerunt ad casum, si contrahentes de dictis lucris percipiendi expressè sint pacti, vel ubi emptor interim fractus pretio à se soluto æquales percepit Bachov. ad Weyenb. tit. de lege Commiss. in f. Zocl. ad ff. d. t. n. 4. Arnold. Rath. de Rescind. vend. assert. 65.

2. In lezione mg; ad dimi- dinum justi- pretii. XXXIII. Jus Romanum permitit i. e. tolerat læsionem ex rei valore contingentem usque ad dimidium justi pretii, neque ejus emendandæ causa concedit remedium, ne ob quamlibet læsionem excitentur lites, quibus expediendis vix ulla tribunalia essent sufficiunt L. 2. C. de Rescind. vend. Verum & hic amor erga proximum major esse debet, quam erga nos ipsos, nempe ut reddamus, quod jus sumnum quidem nobis adjudicat, sed tamen cum magna læsione proximi Grot. L. 2. c. 12. §. 12. n. 2. ibid. Commentat. Et erit observandum non tantum læsionem ex pretii magnitudine

tudine hic esse aestimandam, sed etiam ex tenuioribus lœsi facultatibus, quando graviter affliguntur, licet tale damnum opulentior planè contemneret.

XXXIV. Opera locata & locatorre illarum ob morbum ^{la impedit}, vel alium casum impedito, quo minus operas promissas ^{to Locatore} præstare valuit, non potest ille ultra ratam operarum præstitarum agere ad totam mercedem consequendam. ^{eo quod} merces remuneratio quædam laboris sit L. 15. S. 6. ff. Loc. *Conduct. Lugo. de Jus. & Jure Disp. 29. sect. 3. n. 38.* Franzk. ad ff. d. s. n. 100. Prorsus ad curationis sumtus conductor operarum non obligatur famulis & ancillis suis ægrotantibus Molina de Jus. & Jure Disp. 505. n. 2. Attamen & hic amor aliud postulat, ne, quem video ex operis meis languescentem, omni auxilio deseram. Præcipue si ex negotiis periculi plenis, eique commissis morbum attraxerit, ne faciam ipsi officium suum planè damnosum Bonacina de *Contract. Disp. 3. qu. 7.*

XXXV. Circa mutuum Filius familiæ ex SCto Macedo. ^{2. In filio-} niano tutus est de pecunia mutuo accepta, quam creditor ^{familiæ mutuante accepit ante.} suo nunquam reddere tenetur, ne quidem post emancipationem, aut ubi per mortem patris sui juris factus, licet pecuniam apud se extantem adhuc habeat S. 7. f. Quod cum eo qui in alio posset est L. 1. pr. L. 9. S. 2. ff. de SCto Maced. Evidem si creditor ex lucri cupiditate, & ut corrumpat bonos mores in Juvene, crediderit pecuniam, filius fam. sine omni scrupulo conscientiæ ejus restitucionem rectè negat, cum superioris hic sit voluntas, ut creditor ob transgressionem legis jacturâ crediti puniatur, & pro eo repetendo legis auxilio careat. Verum quando creditor bona filii dedit, male ejus restitucionem detrectat debitor filius fam., quia in illo naturalis obligatio manet, licet maximè in judicio sit absolutus L. 10. ff. d. s. quæ verat, ne quid

quid lucretur cum alterius detimento, & inter improbos
refertur, qui mutuum accepit nec reddidit *Psalm. XXXVII.*
2r. Gomez. 2; var. resol. 2. Covarruv ad e. peccatum p. 5. §. 9.
n. 4. Quamobrem etiam hoc casu contra filium fam. mini-
mē religiosum admittitur denunciatio Evangelica, quæ est
extraordinarium remedium Canonicum, quod adhibet,
qui juris civilis auxilio destitutus, contra peccatorem in
subsidiū, quem duplex privata admonitio comonovere
non potuit, ut ad poenitentiam redeat, & consequen-
ter rem injustè detentam restituat. Dn. de Jena Tr. de SCIO.

Maced. Sect. 4. aph. 4. n. 6. & Sect. 6. aph. 6. n. 25.

*§. In inde-
biti accipio-
ne.*

XXXVI. Rem indebetē solutam accipiens ex causa pia,
deposito miserabili & lege Aquilia, quarum causarum lis
ob initiationem in duplum crescit, restituere non tenetur,
quia facta solutio intelligitur, ne initiando depositum, le-
gatum ad pias causas &c. periculum dupli incurritur, &
ita transfigendo lis omnis componatur *§. fin. f. de Oblig.*
qæ quasi ex contr. L. 1. §. 1. ff. Depof. L. 4. C. de Cond. Indeb.
Verum postquam incipit constare, solventem ad hæc de-
bita non fuisse obligatum, rursus amor accipientem com-
movet, ne sibi indebetē solutum retineat, sed solventi re-
stituat. Et sanè qui non redderet, cum maximè intelligit
solventem indebitum soluisse, nulloque jure ad tale solventum
fuisse obligatum. Imò qui posset Ecclesia aut aliud
corpus venerabile contra justitiam accipere, quod tamen
cultrix & auctrix justitiae esse debet. Quare non nisi sum-
mo jure in allegatis textibus repetitio indebetē soluti dene-
gari videtur Grönwegen de Legib. abrogat ad *§. fin. f. d. t.*

Egeno proxii n. 2.

mo obliga-

XXXVII. Sed progrediamur & alias amoris hujus spe-
mū ad pecunias proferamus. Ex quo cognovimus proximum nostrum
niam sine laborare summā virtus aliorumque necessiariorum inopiat
statim

juris creden-

dam.

statim nobis incedit obligatio juvandi eundem, non tantum quantum nobis est facile, sed & si hæc præstatio nobis ægrè faciat. Quare roganti à nobis mutuum, ut in summa necessitate sibi consulere posfit, si de forte restituenda nos possit facere securos, obligamur ei succurrere sine ulla stipulatione aut exactione usurarum *Syracid. XXIX. 1. seq. 1. Job. III. 17. Psalm. XV. ult.* Nobis enim in hunc finem bona sunt data, ut officia amoris & benevolentie exhibeamus aliis, non ut divitiis repertis soli incubemus. Pufend. *L. 5. c. 7. S. 10. in f.* Imò ad modum nostrarum divitiarum sollicitantibz egeno succurrere quoque debemus, si ille querendæ meliori fortunæ, & non tantum ad corporis necessitatem à nobis auxilium imploret, tametq; præter fortē, nullum aliud lucrum ab ipso nobis sperandum sit, omnino enim amor verat indigentem derelinquere *Exod. XXII. 25. Dn. Stryk Diss. de Foro Conscient. cap. 5. n. 71.*

XXXVIII. Orta hinc est Ddum sententia, quod tempo-^{ut & ad di-}
re necessitatis locuplets teneatur gratis pauperibus frumentum distribuere, adè ut contra nolementem hoc nomine pri-^{frumentum.}
vatæ direptioni locum faciant Diana *Resol. moral. tom. 4. Tr. 7. resol. 3. in f.* Perez. *ad Cod. de Conditiis in publ. horreis n. 14.* Cum enim quilibet, dictante rectâ ratione, obligatus sit, ut vitam suam conservet, remedia verò ad illam conservandam in præsentistatu non suppetant, non permittit amor Proxi-
mi, ut non, qui potest, media indigenti porrigit. Quæ ta-
men si nihilominus detrectat, tunc bona sua quasi vacua fa-
cta judicantur, ex quibus, quantum postulat necessitas, ege-
no propria autoritate auferre licet, ne si destituentibus om-
nibus egentem, ipse quoque videatur sese deseruisse, & id
quidem cum majori opprobrio, quo magis quis sibi quam te-
nerrimè obstrictus est *Wilhelm Grot. de Princip. Jür. Nat. 6. 13. n. 10. Vitriar. Inst. Jür. N. & G. L. 2. c. 24. qu. 23. segg.*

F

XXXIX.

*Ablata tem.
pore necessi
tatu sunt re
stauranda.*

XXXIX. Hoc casu verd, quo quis bona proximi ad leporem necessitatem suam attraxit, vicissim obligatus est ut ubi sata mollius fluere coeperint, eadem restituat. Quamvis enim tempore necessitatis videatur usus jure suo, nemini que injuriam fecisse, cuius intuitu alicui obligaretur L. 55. ff. de R. f. humanius tamen est, ut cessante necessitate res ablatas restituat, quia necessitas quidem jus dedit rem eam eripiendi sed tamen cum tali onere, quod Dominus, si sponte gratificatus fuisset, potuisset imponere, nimur ut vel ad gratiendinem vel affirmationem refundendam accipiens obligatus esset Diana d. l. Refol. 4. n. 2. Less. de f. & f. L. 2. 6. 10. Dub. 1. n. 8.

*Cum cæde
raptorū res
nostras Posse
defendi ali-
qui statuunt*

XL. Retum meorum conservationem cum cæde raptoris defendere licere, ita ut sum cum rebus meis fugientem, si aliter illæ, quæ tamen sunt alicujus momenti, conservari nequeant, jaculo missò prosternere possim, sunt qui justum esse putant, quia bona sunt alter sanguis, sine quibus vita nostra conservari nequit, iuxta illud apud Stobæum :

Anima atq. sanguis pecunia est mortali bus,

Hac si carebis, sine parandi copia

Non vivis, umbra vivis umbra interes.

Idcirco quemadmodum vita cum interitu invadentis defendi potest, ira etiam posse statuunt bona, cum hæc auferens consequenter dominum illorum vita privare audeat. Adducunt pro hac sententia autoritate in Juris Romani, & quidem L. 1. C. *Unde vi in qua defensio retum simpliciter concessa, conse-
quenter ergo etiam cum cæde, quia sola hoc loco medium
viderur, per quod res nostra salvare potest. Provocant ad L. 3.
S. 9. ff. vi & vi arm. ubi cum armis ad spodium bonorum ve-
mentem in continentis armis propellere permittitur, quæ ni-
hil cæterum determinat, an virtus nostræ simul insidias parave-
rit nec ne, cum inæqualitas rei ablata & virtus raptoris favore
inno-*

innocentis & odio raptoris compensetur Grot L. 2. cap. 1. §. 11. Dn. de Rhetz. Vol. 2. Disp. 4. de Jure necess. defens. cap. 3. n. 5. seqq. Vasq. L. 1. controv. illustr. c. 18. n. 5. Carpz. Pr. Crim. P. 1. qu. 32. n. 14. seqq.

XLI. Contrarium nobis non minus æquius quam verius, ^{Anobis præ-}
videtur, hinc in casu ubi solum res nostræ periclitantur, eas ja- ^{serunt con-}
standas esse ex amore erga proximum, ut ille salvus servetur, ^{trarium,}
existimamus. Magna enim inter virtæ & bonorum amissio-
nenem intercedit differentia, quia virtæ ademptæ, irrecupera-
bile quid ademptum est, non æquæ si bona ablata, undè ad
illam conservandam insultatorem prosternere licet, ob hæc
verò quia spes & occasio superest amissa recuperandi, non
æquæ. Competunt enim actiones contra furem, omnemq;
illorum possessorem ad illa restituenda, possuntque labore &
studio rursus recuperari, nec non fortuna, qñæ antehac patri-
monium auxit & locupletavit, novum incrementum ei affer-
re potest. Atq; huic sententiæ suffragantur textus L. 4. ff.
ad L. Aquil. L. 54. §. 2. ff. Furt. L. 9. ff. ad L. Corn. de Sicar. c. 13.
X. de homicid. vol. & casual. in quibus demum imperfectio ra-
ptoris permittitur, si simul ab illo periculum virtæ metuendum
sit, consentientque in eam Dd. Ant. Matth. de Crimin. L. 48.
tit. 5. c. 2. 3. Bachov. ad Tr. V. 2. D. 32. th. 6. lit. H. Brunnem.
ad L. 4. C. de Sicar. n. 4. Sanè si jacturæ bonorum junctum si-
mul sit periculum virtæ nostræ, ut si ex fure fieret aggressor
corporis mei, & me bona mea defendantem armis invaderet,
vel si essem in eremo, & ablatis bonis mihi pereundum
foret, tunc virtæ meæ rationem possem habere, & furem sal-
vâ conscientiæ interficere, quia hoc fieret ex studio conser-
vanda virtæ meæ Lederer de Jure belli privati L. 2. c. 7. §. 7. seqq.
Pufend. L. 2. c. 5. §. 6.

XLII. Non dimovent nos ab hac sententia pro contraria ^{Reffond. ad}
opinione adducta argumenta. Quamvis quidem verum quod ^{argum. af-}
^{bona firm. sentie-}

bona sicut alter sanguis, & sine illis vita sustentari non possit, non tamen sequitur, ut conservem hæc & præsentia bona, me eorum raptorem interimere posse, nam restitui possunt in locum ablatorum alia, quæ manent vitæ conservandæ media. Neque juvat contrarium c. L. i. C. *Hinde vi* quia à defensione rerum ad internacionem invasoris falsa necatur consequentia. Illa ibi permitta est, ad hanc verò usque devenire non licet, ne quis vindictam privatam spiret, quam Leges non tollerant, cum autoritate publicâ approbatis remediis utendi copiam habeat. Quando verò in L. 3. §. 9. ff. vi & vii armati, de occidendo eo, qui ad nos cum armis venit, agitur, non de nudo spoliatore bonorum nostrorum ibi tractatur, sed de eo qui nobis cum bonis vitam facile auferre potest. Talem verò occidi posse, & jam nos concessimus §. preced. inf. Bachov. d. I. Tabor. in *Armament. Justinian. de legitimo armorum uso* c. 2. th. 11.

Injuriae illatae estimationem Lesu ex amore non petit.

XLIII. Ex *injuria illata occasio erit lucrum aliquod acquirendi ab injuriante, nempe poenam, si injuriatus civiliter agat, seu estimet pecuniâ injuriam, & illam, sibi applicare petat* §. 7 f. de *Injur. ibid. Giphon. Amor proximi alii exigit & vult, ut homo placidi sit animi etiam erga inimicos, eundemque contestetur cum signo externo, adeoque etiam remittat lucrum vindictæ Proverb. XXV. 21. ad Rom. XII. 20. Obligamus enim ad inimicos diligendos, quia homines sunt, & quia ipse Deus eos patitur humanis aliarumque creaturam juribus frui, nos ergo tanto magis decet exemplo Divinitatis Bonitatis amorem illos prosequi Matth. V. 45. Dn. Beccman. Doctr. moral. c 16. §. 2. Osiander. Theol. Casual. P. 2. p. 1188.*

In primis post usum S. Coenæ.

XLIV. Hæc generalis assertio apud nos nunc facit induciam sententiam, tanto magis post usum S. Coenæ omnem compendium ab injuriante pro *injuria illata exentiendi* amorem interdicere. Quicquid enim in contrarium adducitur, per

per usum S. Coenæ tantum rancorem, qui in animo residuebat remissum esse, ad satisfactionem autem injuræ illatæ salvam remanere actionem Covarruv. var. resol. L. 2. c. 10. n. 7. pr. Faber. ad §. ult. f. de Injir. illud tamen vel ex hoc destruitur, quod actio injuriarum ad vindictam tendat contumelizæ illatæ L. 15. §. 46. ff. de injur. L. 2. §. 4. ff. de Collat. bonor. quam alere non licet accumbenti Coenæ Domini, utpote quæ convivium amoris audit. Planè piè scribit in hanc sententiam Ant. Matth. de Crimin. L. 47. tit. 4. c. 1. n. 15. cuius verba, cum omnino nostra faciamus, ad hunc locum inregula transferre lubuit, eaque sunt sequentia: *Pii actoris officium est, explorare conscientiam suam: cogitare, quām parum congrua actio injuriarum cum professione. Profiteretur, qui corpus & sanguinem Domini participat, deponere se exanimō offensionem omnem, atq. injurias acceptas condonare adversariis, num autem dependent, qui vix dimisso sacro cœtu & injuriam recolit & vindictam spirat.* Dicet, se non vindicat sed honoris sui tuendi causa id facere. *Audio: sed id ipsum an satis christianum sit, existimatio-*nis tua causa, alterum famoso judicio percellere, ante expendendum est. *Quid enim si infamatorem sine judicio ad officium ad pietatem reducere pos sis, nonne id satius est, quām injuriarum agere?* Sanè si nulla sit spes adversariorum lucrificandi, tuāq. paientiā indies fiat deterior, hec, demum etiam Theologis assentibibus, justissima agendi causa est, ut saltem judicio & pena corrigitur, quem sacrae conciones inflēctere nequeunt.

XLV. Simile judicium esto de casu, quando ægrotus *Nec non post per sacerdotem in Ecclesia deprecatus delicta in alios com- deprecatio-*missa, sub contestatione, se parimodo omnia adversariis suis *nem per sa-*rensis istis, quod, si reconvaluerit, postea poenam illatæ injurⁱam, *cerdo em fa-*riæ exigere non possit. Si enim ad illam adhuc jus esset, nihil videretur actum ista remissione, & dici non posset, quod injuriant ex animo remiserit injuriam, quique proinde ma-


F 3

le con-

lē consuleret conscientiē suę, cum Chrtistus illis minetur vindictam, qui non ex animo injurias condonant Eckolt ad ff. tit. de Injur. §. 18. vid. elegantiss. Less. de J. & J. L. 2. cap. 47. Dub. 4. n. 26.

Limitatio XLVI. Utroque tamen casu prolatam sententiam reditorum stringimus ad injuriam, quā alicujus persona lēsa. Quā enim cum annexareale damnum, quod patrimonium lēdit, alicui illatum, ad conclusionē id reparandum, quo minus agi possit, amor Proximi non obstat Osiander d. Tr. P. 2, p. 456. Verum de hac materia nunc satis dictum nobis videri potest, quibus, si quem amorem etiam erga has qualescunque curas sperare licet, sufficiet, si benignā censurā excipientur. Ultra eam nihil merentur, ne quidem faciem majoris meriti habent. Istam tamen omni modestiā exoramus & obtestamur.

F I N I S.



ULB Halle
004 821 785

3




56.

VBN8



B.I.G.



L. D. B. V.

DISSERTATIO

DE

EXUPERANTIA AMORIS, ERGA PROXIMUM,

Quam

Divinâ favente Gratiâ

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi,

DN. SAMUELIS FRIDERICI

WILLENBERG /

J. U. D. Ejusdem ac Historiar. Prof. Publ.

& Athenæi Inspectoris,

Fautoris, & Promotoris studiorum suorum

ad Cineres de venerandi,

d. VII. Decembr. A. R. M. D CCII.

Horis Consuetis,

In Auditorio Athenæi Gedanensis maximo

Publico Eruditorum Examini,

submittit

JACOBUS Maul / Ged. Bor.

G E D A N I,

Excudit JOHANNES-ZACHARIAS STOLLIUS,

ATHEN. TYPOGR.

Dsp, VIII.

7 28.
1702, 3.

Seite 2-3
6-7
unbedruckt

